

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XXXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Hæc vidi Nova vetera, (tali enim inscriptione placuit Swermeris vestris ornare raphodiam publicatam) obstupui certè, maximè cum legerem nomen Sturmii, & Huberti. Habere certè millia, quæ tecum conferrem: sed quia meruendum est, ne literæ vel intercipientur vel ad alienas manus deveniant, ideo hæc omnia differo ad colloquium privatum, de quo noster M. Zinnius aliquam spem fecit. Bene vale, Clarissime vir, & meo nomine honorificum Conventum, nec non honestissimam uxorem tuam officiosè & reverenter salutato. Raptim Ulmæ, 25. Aprilis Anno 62.

*T. humanitatem reverenter colens*

Rabus, D.



XXXII.

**S** In Domino. Clarissime vir, amice & frater in Christo honbrande. Dimisso hodie ad horam quintam reverendo viro, D: Johanne Flinnero, qui mecum tuo & reliquorum fratrum capita vobis exponet, rogavit me urbis nostræ coram brevi collationis nostræ capita vobis exponet, rogavit me urbis nostræ primarius, vir integerrimus, & religionis nostræ studiosissimus, ut qualisnam esset Jacobus Böcklin, à Böcklinsaw, civis vester, diligentius inquirerent. Cum enim hic Jacobus Dominis meis sit commendatus à singulari quâdam scientia rei militaris, fieri posset, ut ab eis vocaretur & in Capitaneum urbis nostræ eligeretur.

Res ipsa extra professionem quidem nostram est, sed tamen gratificandum erit optimo viro, tam honesta petenti. Te ergo peramanter rogo & oro, ut hoc nuncio, quem proprium Domini mei ablegarunt, equidem videretur, non aliam, nisi quam jam memini, ob causam, certi quid significes: Qualisnam sit prædictus Jacobus Böcklin, quem scio esse fratrem Ulmanni & Wolffgangi defuncti: cujus religionis, hoc enim imprimis scire cupiunt. Num Augustanæ Confessioni adjunctus? Quid etiam in re militari præstare possit? Memini ego, quod superioribus annis, cum lætaliter decumberet, à me acceperit Cœnam Domini: Sed ut tempora sic & hominum mores plerumque consueverunt mutari. Idè officiosè rogo, ut diligenter inquiras de ipsius vita, conversatione, moribus, rei militaris scientia, maximè verò Religione: Et hoc nuncio ad me perferbas: Intellego Dominos meos ipso uti velle, ut autem scripsi, pro Capitaneo, qui etiam in obsidionibus consilio & fortitudine aliquid præstare possit. Potes hoc ipsum clam percontari à Dominis tuis, ma-  
ximè

xime D. Consule Pfarrero & reliquis tibi familiariter notis. Scripsissem ego ipsis quoque, sed ne posset incidere aliqua suspicio, equitem hunc eam ob causam ablegatum, judicavi consultius, ad eum, qui ministerio & officio mihi junctus est, in hoc casu confugere. De tua erga me benevolentia non dubito. Ideo brevior sum in petendo: Plane enim mihi persuasi, te Dominis meis & mihi hac in parte libenter & animo prompto gratificaturum. De reliquis omnibus D. Flinnerus, quem hesterno die mecum retinui, quique denuo ad nos revertetur, confectis negociis Launigæ & Augustæ, coram tecum conferet. Tu interea, sicuti Episcopum decet, diligenter vigila, ut perniciosus Grammaticorum vestrorum error aliquando Magistratus vestri autoritate reprimatur & damnetur. Uxor mea gravida & partui vicina, te tuamque reverenter & officiose salutatur. Bene vale: Et, quod denuo serio peto, ad petitionem meam respondeo: Utinam concederetur mihi occasio, tecum aliquid coram colloquendi & conferendi. Ulmæ raptim 18. Julii Ao. 62. hora 8. antemeridiana,

*T. humanitatem reverenter colens*

Rabus, D.

XXXIII.

**S** In Christo. Reverende Domine Doctor. Si Thermæ, ut spero, tibi fuerint salutares, congratulor tibi & ago tuo, imò & ecclesiæ nomine, D. DE O nostro gratias. Accepi tuas literas, unà cum fasciculo, quem pro pertabellarii festinationem nondum explicui. Quod igitur peris, ut certum tibi locum, ac diem significem, quo me convenias, equidem statueram, ipse te in Thermis invisere, postquam audieram, te eo profectum, sed alia atque alia negotia ita inciderunt, ut jam quatuor hebdomadis non fuerim domi, ubi mea familia commoratur. Nec adhuc est negociorum finis. D. bo tamen, quam possum, operam, ut die 21. Augusti veniam vesperi ad Hirsaugiam, ac si fieri potest, unà mecum adducam Doctorem Jacobum Andreæ. Quare, si ita tibi videbitur, potes etiam eo die ad Hirsaugiam profectionem suscipere. Credo eum locum non distare à Thermis, nisi itinere trium horarum. Interea, si licuerit, inspiciam, quæ ad me misisti. Bene ac feliciter vale. Tubingæ, die 14. Augusti, Anno 1562.

Jo. Brentius.

XXXIV.

**S** D. Reverende & ornatissime Domine Doctor. Credo te moleste ferre moram, quæ intercedit editioni scripti de cœna Domini, quæ mihi quoque